







Ung VI 3

**PRORECTOR**  
**ACADEMIAE VITEMBERGENSIS**  
**IO. ANDREAS**  
**PLANERVS**  
**SVPERIORVM MATHEMA**  
**TVM PROFESSOR PVBLICVS**  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
**S P D**



f  
Permanat ad nos illius non solum fama, sed etiam sensus laetitiae, qua cumulata exultat, ac de iniquitate temporum triumphat, Pannonia, cum CAROLVM AVGVSTVM, sancto auitoque iure, REGEM consecratum, certantibus procerum, ciuiumque, obsequiis, ueneratur, atque in Patris Patriae Optimi Maximi conspectu, bonitate, cultuque omnium, quas sustinuit, calamitatum memoriam iucundissime deponit. Dolebat enim, et uehementerangebatur Germania, cum uideret, audiretue, florentissimum in ultimis Christiani Orbis finibus regnum, quod uelut communis libertatis propugnaculum barbaris esset oppositum, factionum diffidiis distrahi, intestinisque tot annorum motibus concussum, ac multis partibus afflictum, graue discrimen adire, ut uerendum esset, ne Thracibus apertum, rebus fortunisque cunctis euerteretur ipsum, et, patefacto hoc aditu, hostium terror longe lateque proferretur. Nec uero deerant turbis quorundam concitatorum, qui male cuperent nobis, consilia, ex acerbissimo odio profecta, quae spectarent eo, ut incendium belli excitatum seditione discordiaque aleretur, nouaque auctum dissensionum materia, amplius serperet, neque prius restingeretur, quam, excitis, effusisque, ex uicinia barbaris, Germanos, recuperandis Imperii finibus, ac iuribus, intentos, metu conturbaret, atque ab instituto persequendi uictorias, in tanto bonae causae  
prae-

praesidio, tanta uirtute, fortuna, gloriaque par-  
tas, reuocaret. At uero melioribus partibus af-  
fuit DEVS, CAROLINOQVE AVSPICIO  
hanc fortunam adiunxit, ut in eo temporis arti-  
culo, quo DIVO FRATRI AVGVSTO succe-  
dendum esset, animi placarentur, et mitigati, con-  
cordiaque deuincti, de sua, ac patriae salute cogi-  
tarent, et ciuili tempestate antehac abrepti, iam  
uenia deliniti, redirent ad officium, maiori dein-  
ceps obsequii integritate constantiaque praestan-  
dum. Quare mansuetudini cessit furor, amori  
odium, securitati caedes, tranquillitati tumultus,  
aequitati uis, gaudio dolor, et cuncti, qui recte  
fenserant, una mente sententiaque coniuncti, uni-  
us CAROLI fidei se permiserunt, quod unum  
hunc, si quidem a DEO discesserint, esse scirent,  
ac dictarent, qui rempublicam, impetu belli  
perculsam, restitueret, conciliatumque regno  
otium sapientia, iustitia, auctoritate defenderet,  
et decus pristinum, ab iniuriis aeui uindicatum,  
ac dignitate amplificatum, conseruaret. Aberat  
quidem Ille, atque in Hispaniis maiori, ac ueteres  
sciant annales, credatque posteritas, animo rem  
gerebat, sed, fusis toties, fugatisque hostibus, ac  
statu regni tam sapienter ordinato, ut in extre-  
mo belli discrimine nulla esset perturbatio, ae-  
quabilis contra ac pacatissimus rerum ordo, non  
modo Pannonias, uerum etiam terrarum Or-  
bem, fortitudinis, prudentiae, ac moderationis  
fama impleuerat, quantoque maiori cunctarum  
admi-

admiratione gentium celebrabatur, tanto plus spei Pannonibus, miti paternoque Auftriacaе gentis imperio affluetis, afferebat. Iam capit expectationis suae fructum, recreata aduentu CAROLI, Pannonia, eoque Pofonii Regium infigne fufcipiente, ueluti luce, quae diuinitus oboriatur, collustrata, inductam fuperioris memoriae caliginem dispellit, praefentemque REGEM nihilo fecius, ac Patrem, laeta confpicit, et colit, et parendi fide obftricta, fed amore, beneuolentiaeque ciuium multo coniunctor, Liberatori Patriaе, Statori Reipublicae, Reftitutori Quietis, Inftauratori Pacis, Optimi Status Auctori, uota nuncupat, atque in hac religione animi, et meliorum fiducia temporum, conquiefcit. Nos, qui communi hoc SOLE regimur, ac fouemur, tantam Ampliffimo Regno felicitatem gratulamur, et eximie collaudamus pietatem, qua ductus, nobili et fanguine, et uirtute Iuuenis, SAMVEL BOHVSIVS, Eques Vngarus, quem ad ornamentum gentis fuae fpectatis decoribus, ac praeclaris, ciuilibusque doctriinis, excultum adamamus, IMPERATORI AVGVSTO Noftro, eidemque REGI PANNONVM recens inaugurato, Patriaе fuae religionem, et obfequii fanctitatem, apud nos altam auctamque, in externis huius Academiae oris, hodierno, et aufpiciiffimo Pannoniis, die publica, atque ad CAROLINAE MAIESTATIS uenerationem composita, oratione, ftudet probare. Quare, Illuftriffime Comes, Perilluftris L. Baro, Patres, Ciues, atque Hofpites, perinde, ac fieri pro cuiusque dignitate locoque conuenit, rogandi eftis, ut Oratoris noftratis officio fanctiffimo faueatis, eique in Templo Arcis hodie, factis a meridie facris, dicturo, humanitatis, atque beneuolentiae ueftrae ftudium impertiatis, et denuo nobifcum DEO pro falute CAROLI AVGVSTI, pro incolumitate, ac fecunditate, ELISABETHAE CHRISTINAE AVGVSTAE, incrementisque DOMVS AVGVSTAE uberrimis, ac perpetuis, publice, et maxima religiofi animi contentione, fupplicetis. P. P. XI KI. Iunias,

A. R. G. c i c i o c c x i i



Ung VI 3

W 18  
V 17



7



DIRECTOR  
 ACADEMIAE VITENBERGENSIS  
**ANDREAS**  
**ANERVS**  
 PRAECEPTORVM MATHEMATICARVM  
 PROFESSOR PVBLICVS  
 IN ACADEMICIS  
 S · P · D